DISCURSUS
CHRISTIANI HOMINIS,
PRO TEMPORE
Ad
STATUS REIPUBLICÆ



QVicunq; habeat ſcintillam Zeli, ad promovendam necnon augendam Fidem Sanctam ac gloriam DEI, quam habere quiſq; tenetur: nam propterea eſt a DEO creatus, vt ante omnia Gloriam eius curet & Animam ſuam ſalvam faciat: imò deberet ex eo extremè lætari: Quod DEVS ter optimus Maximus, ex bonitate ſua immenſa, Sereniſſimum Electorem Saxoniæ ad Fidem Sanctam vocaverit, ex cuius vocatione, magna ſpes converſionis totius Saxoniæ exoritur. *Ac, vnde mors oriebatur, inde vita reſurget.* Et ecce nunc, in locum horum, ab Adverſa parte nihil magis de Ipſomet publicatur, non ſolùm verbis, calamo, verum etiam Typo. Quaſi ſit *Contrarius Fidei,* quaſi ſit *Hæreticus,* quod *Poloniam Hæretica ſecta coinquinabit,* & alia millena excogitata balbutiri præſumuntur. Taline modo trahere conabimur ad Fidem Sanctam? hoccine eſt iuuamen ad illam Saluatoris repromiſſionem. *Erit Vnum Ouile & vnus Paſtor.* Eone condimento expedit dulcorare veram Fidem Sanctam? An iniquè ac indebitè pudore afficient hos Pſeudocatolicos, Hæretici, Luteranæ, Caluinianæ ſectæ homines? ad quos dum aliquis Profugus Apoſtata acceſſerit: Vix illum in manibus non extollunt: ad Cathedras principaliores exponunt: omnem honorem exhibent, necnon provident alimenta. Et hîc Sereniſſimus Elector, Dominus Dominiorum, *venit* (non propter Coronam, cum longè præcedenti tempore ante Electionem) *ad gremium Eccleſiæ:* cuius rei luce meridiana, clariora ſunt Documenta. ac idæo, vbi omnino opus fuerit expanſis manibus amplecti, acceptare, congratulari, lætari omnibus Chriſti fidelibus: & Ecce Hi aliter, ex Catholico *Hæreticum* efficere conantur: Et ecce, Illos, qui ex Eo congaudent, qui pro Hoc Altiſſimo gratias agunt, perſequuntur, ac *Fautores Hæreticorum* proclamant &c.

Licetne contravenire Ordinationi Diuinæ! Licetne adimere aut cõminuere, quod Ei DEVS contulit *Donum Fidei.* Si Ei Regnum, quo, omni ex parte Dignus, conferre apud aduerſam Partem non eſt voluntatis. Saltim Eidem, Illud Regnum, de quo Saluator, *Regnum DEI intra vos eſt,* non adimendum. Dubitat pars Aduerſa, de non facienda Profeſſione Fidei Sanctæ, Sereniſſimæ Conſortis Electi Regis. Procerto in tale tractamentum, traductiones, non tantum debilioris Complexionis Perſonæ, ſed & Ipſimet, ac vnicuiq; alio, etiam ſi optimè diſpoſito euidens obſtaculum. Dixit Saluator, quod *Gaudium eſt Angelis ſuper vno pænitentiam agente:* & hîc, etiamſi non vnius ſed millia millium conuertendorum ſpes affulget, non *Gaudium* ſed *Odium ac perſecutio* ſubſequitur: tum vel maximè, Deſcriptiones vitæ, morum, in opprobrium Perſonæ; attamen per anteacta ſæcula nihil horum, præter Glorioſas Ejus Actiones, tum expeditiones Hæroicas in Vngaria, Expenſas Militares, toti Chriſtiano Orbi publicatum remanſit. Vnde nunc hæc mutatio! O *Charitas* Chriſti fidelium! quàm contraria es DEO, Innocentiæ veritati. Licetſi nihil aliud interceſſerit, ſolas præſeferendo in cõſiderationem *Falſitates,* quæ circa Iuramentum in Pacta Conuenta manent Typis exaratæ.

Ac in-

Ac inprimis, Quasi *Clándestinè venerint in Ecclesiam Illustrissimi Duces, Senatores*,
quod, *de mane hora sexta*, quod *in Protestantes framea in templo euaginata diffidendo
& in vitam. &c*: Quot *Verba* tot *Falsitates*. In toto sacro cantato de Sanctissima Tri-
nitate Præsentes fuêre Illustrissimi prænominati, post idem Sacrum, modoprimum
accesserunt ad Iuramentum, quod actum, post octauam horam. Expositio San-
ctissimi in Pixide tantùm, non propter præstandum Iuramentum; de quo nemo
ex Sacerdotibus Ecclesiæ Sancti Ioannis notitiam habuit. Verùm propè a vigin-
ti annis in Primaria Missa solita hora antecedenter præcessit: subsecuta, more so-
lito, cum cantu *Salvum fac* benedictio a Cantante & Celebrante eandem Mis-
sam sacerdote, non propter Iurantem, sed propter Populum pro hac Deuotione
quotidie comparentem. Frameam quoq; euaginatam nemo vllam vidit. Conue-
niebatne igitur tot falsitatibus Typum infarcire! Est, quod sibi gratulentur isti,
qui non intrant in medium Horum *diligentium vanitatem & quærentium Mendacium*.
Sunt certò & sanæ mentis, & timoratæ ac optimæ conscientiæ, quandoquidem non
adhæserunt Factioni Nationis illius: quæ vsq; ad aures in sanguine Catholicorum
peragrat ac natat: vrbes Christianorū, Templa Deo dicata, Monasteria, Altaria va-
stat, ruinat depopulatur: cum præteream, parua mentione, Cointelligentiam cum
Ottomano, nec non illud (propter quod hucusq; Constantinopoli Nomen IE-
SV Christi non glorificatur) impedimentum. Non adhæserunt prænominatæ
Factioni, nam non habent in votis, vt hoc inclytum Regnum, charissima Eorun-
dem Patria, fieret Theatrum bellorum, ex occasione Eiuscemodi Regnantis, qui
inimicis Crucis Christi fauendo, protueret, in semetipsum, omnium Colligato-
rum, Potentiam. Non vouent, e proximo prospicere, in Interitum, vicini Ca-
tholicorum Dominij; neque in ruinam Viennæ, necnon aliarum Ciuitatum
proximarum adinstar Bruxellis, ac cæterarum centenarum Vrbium, atque ha-
rum omnium (quod summè dolendum) Catholicarum non Hæreticarum.
Adhæserunt verò Serenissimo Electori Saxoniæ, Quem non vllæ factiones, nec
corrumpentes largitiones, verùm DEVS ipse, & fauentes Cæli in Campo Ele-
ctorâli fermè per Inspirationem contulit. Sine dubio in Præmium susceptæ ab
Eo Fidei sanctæ, & pro hac, quâ, ejus opere Hæroico per vniuersam Hungariam po-
titur gloria. Adhæserunt huic Electori, qui cum sit Dominus in proprio Duca-
tu, solo Gloriæ DEI zelo accensus, non parcendo integritati vitæ, sumptibus,
Expensis, Ipsemet in Persona, Pectore, sanguine proprio, per aliquot Annos op-
ponit se. tam Orthomanicæ Potentiæ Inimico Crucis Christi, quam & Hære-
ticis in Vngaria degentibus. Mehercule, pro hoc ipso Dignus Corona, Dignus Sce-
ptro. Adhæserunt ad extremum huic Electioni & Nominationi, Quæ neque
reperitur periura, neque largitionibus corrupta, neque vlla Contradictione in
Campo Electorali vitiata. Cui, Vicini, Cognati, Colligati, Populus vniuer-
sus applaudunt, De qua Caput Vrbium Roma, Domus Regia, ac omne viuens
exultat contentissimum. Concedat DEVS Aduersæ Parti idipsum sapere: ne
amplius afflicta Patria patiatur. Si aliquantulum præiudicij in libertate Electio-
nis inuenitur? non desunt media pacifica, Fidem non rodendo, Perso-
nam, mores: clementia tam Serenissimi Electoris, DEO ac Ecclesiæ Sanctæ
aggregati, quàm & Domûs Eius, tum quoque Dominia ad Ouile Christi
alliciendo, atque per hoc, vti Fidem Sanctam dulcorando, pariter sci-
ipsos Christi Fideles profitendo; semotis fálsitatibus *non ponendo
malum pro bono, amarum pro dulci*, veritate, Pietate, virtu-
te potius cooperari expedit.